



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 71. Bellum Venetos inter & Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. A.C. 1499. næ suæ monumenta posteris reliquit, scripsitque tractatum de religione Christiana, & fidei pietate; octodecim libros de immortalitate animæ, & beatitudine æterna, præter Commentarium in epistolam D. Pauli ad Romanos; varios sermones; tres libros de vita triplici, & duodecim volumina epistolarum: edidit etiam Hieronymi Savonarollæ apologiam, ac versionem operum Platonis, &c.

§. LXXI.

Bellum Venetos inter & Turcas.

Bosius tom.
2. lib 5.

Leunclav.
Pandect.
Turc. 178.

Affidua cædis aviditate bellum Venetos inter & Turcas fervebat; hi Nautopactum & Methonem, nobiles Peloponnesi urbes, demumque Dyrrachium occupabant; vicissim vero, cum Consalvus de Corduba Hispanæ classis Præfectus in auxilium accederet, Benedictus Pefareus Veneti exercitus Dux Cephalenam in maritima Macedoniæ ora sitam Turcis eripiebat; equidem Gallica quoque classis in opem Venetorum advolabat, exiguo tamen illorum impendio; obstitit enim partim propria Venetorum culpa, partim Gallorum intempestiva pugnandi aviditas, necnon improba tempestatum vis, qua naves turbulentis fluctuum motibus jactabantur. Tandem

dem vero, postquam hoc bellum bien-
 nio flagrasset, pax utrinque conciliata
 est, ea lege, ut Veneti S. Mauram Tur-
 cis redderent. Bajazethem ad hanc pa-
 cem propensorem fuisse tradunt Scri-
 ptores, quod Ismael Sophus Persidis re-
 gno potitus, jam Othomanis terrorem
 incutere cœpisset, utpote quibus non
 unico experimento hujus Principis vir-
 tus comprobata erat.

§. LXXII.

Ismael primus Persiæ Sophus.

Fuit hic Ismael primus Persiæ Sophus, *Bizard. hist. Pers. l. 10.*
 Sicaidaris filius ex Usumcassani filia *Leuncl. ant. Turc. l. 16.*
 progenitus. Adhuc puer in Hyrcaniam
 ad quemdam Patris sui amicum profu-
 git, moxque haud obscura fortitudinis,
 præprimis vero ambitionis suæ specimina
 edidit, ac primum paternam ditionem
 recuperare constituit, suorumque, qui
 ad commune cum illo periculum intre-
 pidi currebant, auxilio adjutus, prospe-
 ro Marte dimicavit, demum secundo ar-
 morum successu audaciam acuate, Tau-
 risium in Armenia petiit, quam urbem *Spond. hoc ann. n. 7.*
 diffidiis inter ejus Rectores obortis, nul- *Barros Asia dec. 2 l. 10.*
 lo ferme negotio occupavit: cum autem *cap. 6.*
 originem suam ad Halem Mahometis ge-
 nerum referret, novamque Mahometa-
 næ legis interpretationem traderet, quam
 pluri-